

præcepti, si occasio illorum sit, qualis fuit illi Centurioni in Judæa et inter Judæos viventis. Adde hanc revelationem et missionem non fuisse factam propter unum Cornelium, sed propter universas gentes Ecclesiæ Christi adjungendas, ad instructionem Petri, exemplum conversionis, aliosque similes fines. Causa necdum concessæ beatitudinis Patribus in limbo detentis propria hæc erat, quod non deceret, ullum redemptum ante Redemptorem ipsum capere redemptionis mercedem, et membra bearî ante Caput cœlestis curiæ Christum: præterquam quod ratio assignata etiam non teneat ex eo capite, quod fides illa Patrum in limbo fuisset extra statum viæ, et hinc ad consequendam gloriam minime necessaria per modum meriti.

143. *Observa.* Ostensa hactenus assertionis nostræ probabilitas in *praxi* minime obesse debet aut fidelium in addiscendis his articulis diligentia aut Pastorum in iis docendis curæ ac sollicitudini. Cum enim thesis nostra probabilitatis limites non excedat, ac præterea ex unanimi omnium sententia *gravis* sit *obligatio præcepti*, post promulgatum Evangelium, notitiam fidei habendi istorum mysteriorum, a neutris quidpiam omittendum est, ex cujus defectu salus aut propria aut aliena in periculum incurrere queat.

QUÆRES II. *Quænam necessario credenda sint necessitate præcepti?*

144. *Nota.* Fides respectu *materiæ* dividitur in fidem *speculabilem* et fidem *operabilem*; quatenus nempe; quæ fide tenere oportet, alia per se ac immediate tantum notitiam ipsam mysteriorum ratione sui postulant, alia vero propter operationem vel vitam recte instituendam cognosci debent. Quamvis vero saltem quoad postrema quædam scientia naturalis satis esse videatur, fides tamen certior, et errori non æque ac ratio obnoxia desideratur a lege, quæ quod communiter necessarium est attendit ac providet, atque hinc præcipit fidem ut multis *per se* necessariam in re præsentis. Jam vero convenit inter omnes, ex gravi præcepto obligari omnes ad credenda, quorum fides est medium necessarium, atque hinc etiam oportere credi ex parte *Dei*, cum esse creatorem omnium, finem ultimum supernaturalem, auctorem justitiæ et remissionis peccatorum, legislatorem ac præmiatorem æque et vindicem: ex parte *creaturæ* autem animam esse immortalem, gratiam necessariam, peccatum offensam Dei. Nec minus exploratum est apud omnes post Evangelii promulgationem sub gravi obligatione præceptam esse fidem *explicitam* Incarnationis et SS. Trinitatis.

145. R. I. Quoad *speculabilia*; quilibet adultus ex gravi obligatione præcepti tenetur explicitè nosse et credere omnes articulos symboli Apostolorum, saltem quoad substantiam. Ita *communis* cum S. Th. 2. 2. q. 2. a. 5. et seqq. ex Conciliis Agath. can. 13. (Lab. t. 4. p. 1385.), Bracchar. III. can. 1. (Lab. t. 5. p. 896.), et Mogunt. can. 45. (Lab. t. 7. p. 1231.) atque ex usu et traditione Ecclesiæ non admittentis ad baptismum, nec absolventis in confessione, nec sponso benedicientis, nisi symbolum sciant.

*Prob.* Quam enim explicita debeat esse fides Christianorum, certior regula non est præ ea, quam Apostoli tradiderunt; id quod etiam ex inductione mysteriorum patet, quæ sunt vel Divinitatis vel Christi aut aliorum,

atque in symbolo continentur. Dixi: *saltem quoad substantiam*. Nam. 1. non videtur esse obligatio sciendi aliquas circumstantias, v. g. quod passio Christi contigerit sub Pilato; quod resurrectio facta sit die tertia: quamvis et ista cum aliis addiscenda sint. 2. Non est opus, habere conceptum omnino distinctum atque perfectam intelligentiam, cujus nempe nec omnes capaces nec plerumque gnari sunt; sed sufficit conceptus aliquis rudis ac minus perfectus, qui tamen mysterium in se proponat, discernatque a rebus aliis. Itaque non est necesse dignoscere, quomodo futura sit resurrectio, dummodo credatur, mortuos iterum suo in corpore victuros: neque opus est scire, in quonam proprie constituatur sanctorum communicio, sed nosse satis est, in collectione fidelium intercedere communicationem quamdam in operibus bonis, orationibus etc. 3. Neque datur obligatio verba omnia symboli articulorumque ordinem memoria tenendi, si modo res ipsa ac veritas cognoscatur; quanquam et longe utilius et rudibus præsertim maxime conveniens sit, symbolum *verbatim* continere memoria.

146. R. II. Quoad *operabilia*, adultus quilibet similiter tenetur scire 1. præcepta *Decalogi*; tum quia hæc quivis observare debet: tum quia principia tantum generalia legis naturalis non sufficiunt sive quoad Deum, sive extra materiam justitiæ, sive quoad interna; neque a plebe facile ad particulares materias et actus applicari possunt: 2. Præcepta *Ecclesiæ* saltem illa, quæ quemvis concernunt, ex eadem ratione: 3. *Sacramenta*, saltem ea quoad substantiam, quæ quis suscipere debet, qualia pro omnibus sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia; de quibus et fructum et necessariam dispositionem ad ea digne suscipienda, simul nosse oportet: 4. His adjungitur communiter notitia formandæ *Crucis*, et *Orationis Dominicæ*, tanquam necessaria ex præcepto; quia turpissima et fors aliquando *per accidens*, saltem ratione scandali, graviter peccaminosa esse posset negligentia circa hoc addiscendum et ignorantia.

CAPUT III.

DE OBJECTO FORMALI FIDEI.

ARTICULUS I.

QUODNAM SIT OBJECTUM FORMALE FIDEI DIVINÆ?

147. *Nota I.* Actus fidei divinæ habet objectum formale, sicut omnis assensus intellectualis: et generatim quidem fides innititur auctoritate loquentis; sic fides divina debet niti auctoritate Dei testantis, ex 1. Joan. 5. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, h. e. si assentimur ob testimonium hominum, multo magis assentiri debemus ob testimonium Dei.*

Non autem *potestas* divinæ *voluntatis* est objectum formale fidei nec *imperium*: tum quia illud secundum se spectatum, hæc vero de se non est connexa cum existentia mysterii: tum quia neutrum deducit in mysterii cognitionem ut ratio objectiva, sed tantum ut movens intellectum per modum mediate vel immediate efficientis.

Porro nec *lumen fidei habituale* seu habitus; quia hic habet se tantum ex parte potentie non autem objecti, neque est medium ut quod cognitum, cum prævie non cognoscatur a credente: nec *lumen fidei actuale* seu actus intellectus et illustratio aut actus voluntatis et inspiratio; quia et hi actus tenent se ex parte potentie aut suadent et movent moraliter per propositionem alicujus objecti formalis, consequenter ipsum formale objectum minime dici possunt. Multo minus humana ratio potest esse objectum formale fidei. Hinc ad Cor. 2. 4. *Prædicatio mea*, inquit Apostolus, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis et spiritus, ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum sed in virtute Dei*, h. e. ne fides vestra fundetur in sapientiâ, mediis et humanis rationibus acquisita. Hinc 2. ad Cor. 10. 5. commendat *in captivitatē redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, scilicet per fidem; quæ autem esset captivatio intellectus, si ea duntaxat crederet, quæ per rationem cognosceret esse vera? Hoc ipsum Christus et Evangelistæ asserunt de præcipuis quibusdam fidei actibus; nam ille Matth. 11. 25. *Confiteor*, ait, *tibi Pater, Domine celi et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*. v. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui Filius voluerit revelari*. Et c. 16. Petro Christi divinitatem profitenti respondet v. 17. *Beatus es Simon Barjona: quia caro et sanguis, h. e. natura et ratio ejusque vires, non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est*. Joan. 1. 18. dicitur: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Tandem SS. PP. frequentissime commendant fidei simplicitatem, nec illi volunt officere ignorantiam, nec ad eam requirunt scientiam. Instar omnium sit AUGUSTINUS, qui serm. 1. de Trin. de temp. 189. (al. in append. serm. 232. n. 2.): *Considera*, inquit, *quod voceris fidelis, non rationalis. Denique accepto hoc baptismo dicimus: fidelis factus sum, credo quod nescio*. Et Tr. 40. in Joan. n. 9. *Credimus ut cognoscamus; non cognoscimus ut credamus*.

138. *Nota II.* Auctoritas Dei potest attingi vel in recto ac ut constitutum objecti formalis, vel in obliquo et duntaxat ut connotatum; potest præcise sumi ut est in essendo seu secundum naturam et essentiam seu divinitatem, vel in loquendo seu secundum aliquod attributum, vi cujus Deus meretur assensum, etsi alia omnia prædicata abessent vel præscinderetur: hinc examinandæ hic veniunt quorundam sententiæ, quarum *prima* vult solam revelationem Dei esse objectum formale fidei, auctoritatem divinam duntaxat connotari in obliquo; *secunda* autem auctoritatem quidem divinam statuit pro objecto formali, sed sub ratione Deitatis, ac sic auctoritatem in essendo.

139. *Dico I.* Auctoritas Dei est *constitutive* seu in recto objectum formale fidei divinæ.

*Prob. I.* AUCTORITATE. Quia Scriptura passim assignat pro motivo nostræ

fidei Deum ut pollentem auctoritate seu dignitate tali, quæ mereatur fidem, et cui fides innitatur. Sic enim Genes. 15. 6. dicitur: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam*; quod ad Rom. 4. declaratur esse *scriptum propter nos*, nempe ut fidem illam modumque credendi imitemur; quem se imitatum fuisse testatur Apostolus 2. ad Tim. 1. 12. *Scio cui credidi et certus sum*; quibus verbis fatetur, suam fidem fideique certitudinem fundatam esse in Deo, seu dignitate illius, cui credidit. Hinc etiam 1. ad Thess. 2. 19. *Gratias agimus, inquit, Deo, quoniam cum accepistis a nobis verbum auditus Dei; accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei*; scilicet quoniam in credendo non a mea, sed Dei auctoritate moti estis. Quin et ipse Christus ad conciliandam sibi fidem affert dignitatem suam et Patris, dum Joan. 8. 18. *Ego sum*, ait, *qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater*. Joan. 1. 18. dicit: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*.

Ad Scripturæ sensum unanimiter loquuntur Patres: CHRYS. quidem in verba Genes. recitata hom. 36. n. 5. dicit: *Per fidem intendi mentem nostram in dignitatem Dei*; AMBROS. L. 2. ep. 12. (al. ep. 18. n. 7.): *Cui magis, inquit, de Deo quam Deo credam*; AUG. L. 1. de Trin. *Divinæ auctoritati humana cedat infirmitas*; LEO M. Serm. 7. de Nativ. c. 1. *Divina est auctoritas, cui credimus*.

II. RATIONE. Quia 1<sup>o</sup>. credere alicui non est utcumque assentiri rei dictæ, neque propter quascumque rationes aliunde notas, sed propter aliquam loquentis perfectionem, cujus ratione illum existimamus dignum assensu, si loquatur: sed hæc perfectio et dignitas intelligitur nomine auctoritatis; ergo. 2<sup>o</sup>. Fides distinguitur a *scientia* et *opinionē*, quod hæc nitantur ratione, illa autem auctoritate, ut patet ex S. AUG. et ex S. BERN. 3<sup>o</sup>. Fides est obsequium intellectuale, et exercita protestatio de loquentis dignitate: unde nemo est, qui non ipsa natura dictante putet sibi honorificum, quod ipsi credamus, ut indicatur Joan. 3. 33. *Qui accipit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est*; et e contra injuriosum, quod ei non credamus, juxta illud 1. Joan. 5. 10. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum; quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio*.

*Conf.* Objectum formale fidei adæquatum *imprimis* non est sola revelatio *externa* et *passiva*, connotans duntaxat auctoritatem divinam; nam hæc revelatio est aliquid creatum, nec entitative divinum: sed objectum fidei divinæ debet aliquid esse entitative divinum; neque ad virtutem theologiam sufficit connotari tantum prædicatum divinum; cum alias non distingueretur a pluribus *moralibus*; ergo hæc revelatio nequit esse objectum fidei formale adæquatum. *Deinde* nec revelatio *interna* et *activa* est objectum formale adæquatum; nam præterquam quod hæc proprie revelatio aut locutio Dei non sit, vel hæc consistit præcise in volitione loquendi juxta mentem formaliter præcisa ab omni alio; et jam non sufficit ad motivum formale fidei certæ ac infallibilis, quia sic formaliter est indifferens ad veritatem vel falsitatem mentis, et consequenter ad conformitatem vel diffinitatem locutionis cum re: vel consistit in volitione loquendi juxta mentem ut divinam et infallibilem; et tunc illa volitio non connectitur formaliter ratione sui cum veritate mysterii, sed solum exigitive, ac ratione sapientiæ, a qua formaliter provenit, quod mens sit infallibilis; adeoque intellectus credens

formaliter non sistit in ea volitione, atque hinc ea nequit esse objectum formale: vel consistit in complexo ex hac volitione et infallibili cognitione Dei de objecto, de quo vult loqui; sed sic pro revelatione affertur, quod ab aliis dicitur constitutum auctoritatis: vel alio intellectu non sufficit pro motivo formali, ut infra dicitur; ergo.

140. *Dico II.* Auctoritas Dei *in loquendo* est objectum formale fidei.

*Prob.* Cultus fidei non est reverentia qualiscumque, aut humilitas erga majorem potentiorumque, aut obedientia erga præcipientem, sed observantia audientis erga loquentem, per assensum ejus dictis præstitum exhibita; ergo objectum etiam formale ejusdem intra hanc lineam esse debet: atqui ad hanc lineam sola pertinet auctoritas *in loquendo*; ergo.

*Conf.* Auctoritas motiva formaliter consistit in ea excellentia et dignitate, qua præcise intellecta, movetur audiens ad credendum loquenti et existimandum esse verum quod dicitur; et qua præcise non intellecta, si non movetur audiens, quantumvis aliæ perfectiones in loquente resideant: sed præcise intellecta Dei auctoritate *in loquendo*, sic movetur audiens, præcise autem intellecta Dei auctoritate in essendo seu Deitate, audiens sic non movetur; ergo. *Min. prob.* 1<sup>o</sup>. Licet Deus non haberet auctoritatem in essendo aut non esset Deus, sed solam haberet auctoritatem in loquendo, aut esset duntaxat infallibilis in cognoscendo et docendo, dignus tamen esset assensu firmissimo; ergo. 2<sup>o</sup>. Vel Deitas metaphysice accepta constituitur in ente a se, vel in omni perfectione: si *primum*; per Deitatem non intelligitur talis perfectio, quæ moveat audientem ad assensum, eo quod hæc perfectio duntaxat dicat Deum sibi sufficientem ad existendum, per quod formaliter non intelligitur verum esse id quod a tali ente pronuntiatur: si *secundum*; habetur quidem in Deitate illa etiam perfectio, quæ movet audientem ad assensum, Deitas tamen, ut tale totum metaphysicum seu omniperfectum, nequit dici ratio motiva. Nam sola infallibilitas in cognoscendo et dicendo non est Deitas; sed sola illa infallibilitas est perfectio, qua præcise intellecta, movetur audiens ad assensum; ergo perfectio, qua præcise movetur audiens, non est Deitas.

141. *Obj. cont.* 1<sup>um</sup>. Communis modus credendi inter fideles præsertim rudes, est credere nihil cogitando de auctoritate divina. *Conf.* Tempore Christi et Apostolorum multi credebant propter miracula, juxta illud Joan. 14. *Alioquin propter opera ipsa credite*; ergo motivum credendi non erat divina auctoritas.

R. N. A. Licet enim sub his terminis non cogitent neque cognoscant divinam auctoritatem, communiter tamen et vel ex ipso nomine Christianæ doctrinæ intelligunt eas veritates sibi tradi ut doctrinam Dei certam et infallibilem; ejus signum est, quod diverso modo et animo tum audiant tum teneant, quæ in Catechesi, ac quæ alio in colloquio vel instructione percipiunt: hoc autem est, rudi saltem ac vulgari minerva, concipere divinam auctoritatem et propter illam credere, præsertim adjuvante gratia, quæ multum in pueris ac rudibus supplet.

*Ad Conf.* R. Si miracula concipiuntur ut locutio Dei informata ejus auctoritate, qualia esse defendit Card. de Lugo, credere propter miracula hoc

modo accepta, jam est credere propter auctoritatem Dei in loquendo; unde N. Cons. si vero non sunt Dei locutio, et consequenter nec informantur Dei auctoritate in loquendo, ut communiter alii tenent, D. A. Credebant propter miracula,  $\tau\sigma\pi$  propter appellante rationem formalem credendi N. rationem manifestandi divinam revelationem et motivum credibilitatis C.

*Inst.* Sola divina locutio est de se sufficiens motivum actus fidei; ergo. *Conf.* 1. Præcise adveniente revelatione mysterium redditur *proxime* et *formaliter* credibile; ergo locutio Dei seu revelatio sola est objectum formale fidei; sicut juxta nos sola auctoritas Dei in loquendo et non Deitas est motivum, quamvis hæc auctoritas Deitatem præsupponat, ut locutio præsuppositive connotat auctoritatem. *Conf.* 2. Solum auxilium divinum est objectum formale *spei*, ut patet ex D. THOMA, q. un. de Spe a. 4. dicente: *Spei autem, secundum quod est virtus theologica, objectum formale est divinum auxilium, cui inhaeret*; ergo et solum testimonium divinum est objectum formale fidei.

R. N. A. Locutio enim sive externa sive interna, sive formalis ex utraque priore conflata, de se, et præscindendo a sapientia ac veracitate Dei, est aliquid ad veritatem vel falsitatem indifferens; unde illi accidentale ac extrinsecum est, quod sit actu connexa cum re ac mente loquentis.

*Ad Conf.* 1<sup>am</sup>. R. D. A. Præcise adveniente revelatione, et jam præsupposita auctoritate ut objecto formali vel adæquato vel inadæquato, mysterium redditur *proxime* et *formaliter* credibile C. non præsupposita auctoritate N. *Ad prob.* *Disparitas* est, quia auctoritas formaliter tribuit infallibilitatem divinæ locutioni, adeoque non habet se ut merum aliquod prærequisitum aut fundamentum, sed tanquam ratio formalis et motivum ad fidem: e contra Deitas non constituit formaliter auctoritatem, sed est quasi radix cur sit in Deo, adeoque nec ad fidem pertinet ut ratio motiva et formalis.

*Ad Conf.* 2<sup>am</sup>. R. N. A. Tum quia auxilium est quid creatum: tum quia non possumus sperare nobis adfuturum auxilium, nisi ex motivo omnipotentiae, fidelitatis, vel similis prædicati divini. Porro S. THOMAS I. c. non loquitur de auxilio nude ac secundum se sumpto, sed quatenus informato et auctoritatem adepto ab omnipotentia vel fidelitate divina, adeoque includente prædicatum divinum; in qua ratione si sumatur etiam divinum testimonium ut includens divinam auctoritatem, recte quidem instituitur paritas, quam ipse S. Doctor ib. a. 1. posuit dicens: *Sicut objectum formale fidei est veritas prima, ita objectum formale spei est auxilium divinæ potestatis*; sed tunc non excluditur divina auctoritas a ratione motivi.

142. *Obj. cont.* 2<sup>um</sup>. Scriptura et Patres revocant fidem in Deum nulla facta mentione attributorum; ergo Deitas sufficit ad fidem. *Conf.* 1. Fides nostra dicitur divina a Deitate; quia si aliud subjectum a Deo distinctum esset etiam summe sapiens et verax, assensus illi præstitus tamen non diceretur fides divina; ergo Deitas tanquam ratio distinctiva fidei divinæ, debet esse objectum formale. *Conf.* 2. Ex eo præcise, quod intelligatur Deus aliquid dixisse, jam obligamur ad fidem habendam; tum quia ob Deitatem obligamur ad honorem illi habendum, qui si loquenti præstatur, debet esse fides: tum quia excellentia Deitatis auctoritatem tribuit locutioni divinæ, sicut regia dignitas locutioni regiae, cui qui non credit, gravius delinquit,

quam qui non credit verbis subditi : tum quia Deus per se etiam est dignior fide, quam Beati, quamvis et illi sint determinati ad non mentiendum; ergo Deitas debet esse ratio motiva fidei. *Conf. 3.* Idem est objectum formale visionis in patria et fidei in via : sed objectum visionis beatificæ in patria est Deus sub ratione Deitatis ; ergo.

R. D. A. Scriptura et Patres loquentes in sensu reali et objectivo revocant fidem in Deum C. loquentes in sensu formali et præcisivo, de quo in explanatione auctoritatis divinæ proxime afferentur testimonia N. Scriptura et Patres non tam revocant fidem in *Deitatem*, quam in *Deum*; cui hoc tribuunt sicut creare, misereri etc., quin tamen ex hoc inferant Adversarii, Deitatem præcisam ab attributis, aut omniperfectionem formaliter vel adæquate esse potentiam creandi, miserendi etc.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* R. D. A. Dicitur divina a Deitate tanquam a ratione specificante subjectum, in quo est auctoritas C. tanquam a ratione ipsa motiva fidei N. Fides in genere specificatur formaliter ac motive ab auctoritate loquentis Dei vel hominis. *Ad prob. D.* Assensus ejusmodi non diceretur fides divina ex defectu subjecti pro auctoritate, quæ est ratio motiva in fide divina C. ex defectu ipsius rationis motivæ ad fidem divinam N.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* R. N. A. Si sumatur hic Deitas pro auctoritate in essendo præcise et ut præcisa ab attributis. *Ad prob. 1<sup>am</sup>.* N. *min.* Honor enim ille præcise staret in reverentia, non autem in assensu; sicut enim, si per impossibile Deus non foret summe sapiens et verax, non esset irreverentia Deo non credere assensu certissimo, quem nempe exigere non posset, quia deesset fundamentum talis assensus; sic quia, si omnino præscindatur sapientia et veracitas, non spectatur fundamentum ad assensum fidei, honor et reverentia, quæ hic concipitur, non stare debet in assensu. *Ad prob. 2<sup>am</sup>.* N. *supp. par.* Quod autem magis censeatur delinquere, qui non credit regi, ratio est, quia præsumitur ejus eminentiam comitari sapientia et veracitas, cui si non adhibeatur fides, illata per hoc injuria et offensa ex dignitate personæ crescere potest. *Ad prob. 3<sup>am</sup>.* N. id provenire *formaliter* ex Deitate; sed quia Deus ex natura sua est summe sapiens et verax : cum Beati sapientiam et veracitatem duntaxat habeant ab extrinseco, illisque non insit scientia omnium saltem in particulari juxta probabiliorē alibi sententiam.

*Ad Conf. 3<sup>am</sup>.* R. N. M. Idem quidem est objectum materiale primarium, non autem formale; cum visio beatifica proprie objectum formale non habeat, eo quod sit clara et immediata Dei intuitio, feraturque in eum, nullo alio mediante, per modum objecti præcogniti, et sub hac ratione ad Dei visionem determinantis.

*Inst.* Omnis veritas est prædicatum natum ad movendum et se tenens in linea veri; ergo cum Deitas sit prima veritas in essendo, debet esse apta ad movendum intra lineam veri; ac consequenter non est excludenda a ratione motiva fidei. *Conf. 1.* Deus, qua prima veritas in cognoscendo et dicendo, est objectum formale fidei; sed Deus qua Deus est prima veritas in cognoscendo et dicendo, seu summa sapientia et veracitas; ergo qua Deus est objectum formale fidei. *Conf. 2.* Deitas qua talis removet a Deo omnem imperfectionem, consequenter et falsitatem, adeoque cum reddit falsitatis incapacem; ergo reddit testimonium ejus infallibile, atque hinc facit fidem divinam credibile. *Conf. 3.* Ultima fidei resolutio fit in Deitatem; quia si quæ-

ras ex fidelibus : cur credis Verbum esse incarnatum? dicit : quia Deus summe sapiens et verax hoc revelavit; si instes : cur Deus est summe sapiens et verax? respondet : quia est Deus et infinite perfectus; ergo Deitas est objectum formale fidei.

R. D. A. Omnis veritas, quæ est prædicatum formaliter excludens mendacium et errorem, est prædicatum etc. C. quæ est attributum entis, ratione cujus præcise ens repugnat chimæreæ *subd.* est natum ad movendum ad assensum fidei N. ad aliam cognitionem vel assensum quemcumque C. Per primam autem veritatem in essendo nihil aliud intelligitur nisi attributum Dei transcendente, quatenus est verum ens ac verus Deus.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* R. N. m. vel *Cons.* Quia mutatur acceptio ac proinde fiunt quatuor termini; cum τὸ *qua* in Maj. denotet rationem formalem, sub qua est motivum assensus fidei, in Min. autem denotet duntaxat causam virtutalem et radicem motivi seu veritatis in cognoscendo ac dicendo.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* R. D. A. Deitas qua talis realiter accepta removet omnem imperfectionem a Deo C. formaliter accepta *subd.* removet per se ipsam et formaliter omnem imperfectionem N. radicaliter et per perfectiones, quas exigit sibi realiter esse identificatas C. Deus excludit formaliter imperfectiones, quibus formaliter opponitur; unde si formaliter constitui concipiatur in ente a se, formaliter solum excludit non ens et esse ab alio, alias imperfectiones tantum excludit radicaliter. Hæc porro exclusio potest esse *immediata*, si nempe imperfectiones immediate repugnent perfectionibus in Deitate radicatis, quales sunt impotentia, mutabilitas, peccabilitas etc.; vel potest esse *mediata*, si imperfectiones mediate repugnent divinis perfectionibus, quales sunt formido, dubitatio, falsitas et alia ejusmodi, quæ oppositionem actus habent ad potentiam; nam falsitas v. g. formalis locutionis non opponitur *immediate* veracitati, sed formali veritati, ad quam veracitas per modum habitus et principii determinat, atque hinc sapientia *formaliter immediate* exclusiva est ignorantie et veracitas mendacitatis. Quia tamen sapientie et veracitati non solum potentia sed actus etiam contrarius opponitur formaliter; non potest ex illo intermedio sumi argumentum pro Deitate, utpote quæ radicaliter tantum hujusmodi imperfectionibus opponitur.

*Ad Conf. 3<sup>am</sup>.* R. N. *supp.* Quæestionem ultimam et responsonem pertinere ad assensum et motivum fidei, cum spectet ad assensum et motivum scientie vel opinionis : quando enim quaeritur, cur Deus sit summe sapiens ac verax, non jam quaeritur de ratione formali, cur fidelis credat Verbum incarnatum, sed cur judicet Deum esse ita infallibilem; sicut dum quaeritur, cur quis sit superior, non quaeritur de ratione formali, cur superiori sit obediendum. Præterea manifesta instantia habetur in actibus *spei* et *charitatis*, de quibus eadem resolutio fieri potest, quin tamen Adversarii concedant harum virtutum objectum formale stare in Deitate.

QUÆRES I. *Per quam prædicata formaliter constituatur Auctoritas Dei in loquendo?*

143. R. I. Sapientia formaliter constituit auctoritatem Dei in loquendo. *Prob.* Christus Joan. 3. 18. ad excitandam in Nicodemo fidem sic loquitur : Amen, amen, dico tibi, quia quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testa-



mur. Paulus, 1. ad Cor. 2. 6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruantur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.* Quibus verbis non tantum Dei consilium sed et scientia Dei infallibilis commendatur.

*Conf.* Sicut fides divina requirit assensum firmissimum, sic et auctoritatem summam pro objecto formali exigit: sed hæc formaliter non est summa, si non formaliter constituatur in *infallibilitate cognoscendi veritatem*, seu summa sapientia; cum alias formaliter non impediret formidinem, ne loquens fallatur; ergo.

144. R. II. Idem etiam præstat veracitas.

*Prob.* Scriptura sæpe revocat fidem nostram ad Dei veracitatem, ut patet ex Joan. 8. 26. *Qui me misit, verax est: et ego, quæ audiivi ab eo, hæc loquar in mundo.* Et ad Rom. 3. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? absit. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Ergo.

*Conf.* Auctoritas Dei in loquendo formaliter non est summa, ac consequenter assensus fidei non est formaliter firmissimus, nisi illa formaliter impediatur formidinem ne loquens fallat aut falsum dicat.

Igitur nec sola sapientia nec veracitas sola sufficit; sed utraque requiritur ad auctoritatem Dei in loquendo constituendam: quia sapientiæ formaliter talis munus unicum est excludere ab intellectu errorem ac ignorantiam; et veracitatis similiter sumptæ officium unicum est excludere mendacium seu locutionem contra mentem: auctoritas autem in loquendo, ut sibi fidem et assensum conciliet, loquenti tribuere debet, tum quod loquens non fallatur, sed judicet de rebus prout revera ipsis convenit, tum quod loquens non velit fallere, sed loquatur prout animo sentit.

QUÆRES II. *An Auctoritas Dei, in sapientia et veracitate consistens, sufficiat pro quacumque locutione divina et fide theologica?*

145. R. I. Auctoritas Dei in loquendo, per sapientiam et veracitatem constituta, *universim* sufficiens est motivum fidei theologice cujuscumque.

*Prob.* Ad objectum formale fidei sufficit duas habere condiciones; *primam*, qua fundet assensum verissimum per conformitatem actus judicii cum re judicata; *secundam*, qua fundet assensum certissimum per exclusionem omnis dubii ac formidinis de errore vel deceptione. Sed in assignata auctoritate divina utraque conditio reperitur: ex eo enim, quod Deus sit *summe sapiens* et *verax*, sequitur cum loqui non posse, nisi verum, et proinde fundare assensum *verissimum*; cum assensus conformis locutioni verissimæ necessario sit verissimus: cum vero evidens sit, Deum esse summe sapientem et veracem; rursus sequitur, si aliunde constet Deum esse locutum, dubitari non posse aut formidari, quin res ita se habeat prout Deus loquitur, adeoque fundari assensum *certissimum*.

R. II. Auctoritas divina, per sapientiam et veracitatem constituta, *speciatim* etiam sufficit tanquam motivum fidei theologice circa revelationes decretorias.

*Prob.* Vi revelationis v. g. promissorie hujus: *Cras dabo tibi gloriam, Deus duo enuntiat; alterum de præsentem, nempe voluntatem absolutam*

dandi mihi gloriam; alterum de futuro, crasinam scilicet collationem gloriæ: sed utrumque fide divina credere possum propter solam Dei loquentis sapientiam et veracitatem; nam sufficienter mihi proposita hac promissione ut facta a Deo possum hunc actum elicere: Firmissime judico o Deus! te habere voluntatem absolutam dandi mihi gloriam, eamque cras absolute mihi dandam; atque hoc ideo solum firmissime judico, quia Tu id dixisti, qui, cum sis infinite sapiens, ignorare non potes, utrum illa duo ita se habeant, nec ne; et cum sis infinite verax, non diceres illa sic se habere, nisi illa sic se habere certissime scires. Porro evidens est 1º. hunc actum fundari in sola Dei loquentis sapientia et veracitate, tanquam motivo credendi adæquato: evidens est 2º. per eundem actum credi omne ac totum, quod vi illius revelationis promissorie Deus loquitur: evidens est 3º. cum ab omni falsitatis ac deceptionis periculo esse remotissimum; ergo evidenter sequitur, ex auctoritate, quam in una sapientia et veracitate reponimus, haberi fidem divinam revelationis promissorie.

*Conf.* In locutionibus pure *assertoriis* fides nec habet nec habere potest aliud motivum, quam auctoritatem Dei ex unis sapientia et veracitate compositam; ergo nec fides in locutionibus *decretoriis*, quia locutio Dei promissoria non est nisi locutio assertoria duplicis objecti, nimirum unius *de præsentem*, quod est voluntas in Deo faciendi aliquam gratiam creaturæ, et alterius *de futuro*, quod est rei promissæ executio in tempore facienda; adeoque tantum ratione objecti materialis differt a pure assertoria, quatenus hæc non enuntiat decretum Dei.

## ARTICULUS II.

AN ET QUALIS LOCUTIO PRÆTER AUCTORITATEM DEI SIT OBJECTUM FORMALE FIDEI.

146. *Nota.* An locutio divina sit objectum formale parziale, et sic cum auctoritate constituat unam rationem formalem motivam adæquatam ac totalem, hic controvertitur. Quamvis revelatio ex D. Hier. in c. 1. v. 11. 12. ad Gal. sit quasi remotio veli, quo res occultabatur, locutio autem institui etiam queat de rebus alias patentibus; tamen utraque hic confunditur, et locutio Dei ad extra sumitur pro manifestatione rei, prout est in mente divina, ad creaturas specialiter directa. Communiter dividitur in *immediatam*, qua Deus per se ipsum loquitur, et in *mediatam*, qua loquitur per angelos aut alios ministros: immediata subdividitur in *intellectualem*, *imaginariam* et *sensitivam*; quarum *prima* est, qua Deus loquitur per signa spiritualia solo intellectu perceptibilia; *secunda*, qua loquitur per signa materialia phantasiæ propria; *tertia*, qua loquitur per signa materialia propria sensuum externorum. A quibusdam tamen præmittitur alia locutionis divisio in *activam* seu internam, in *passivam* seu externam, et in *completam* seu ex utraque hac complexam; secundum hanc *activa* consistit in actione Dei immanente, h. e. in volitione nobis manifestandi in tempore divinum conceptum per signum creatum ad audientes directum; *passiva* stat in hoc signo creato; *completa* autem quæ etiam rationalis ac propria locutio est, habetur per signum ejusmodi externum volitione saltem virtuali ad aliquid manifestan-